







No 609

þáttr af Karli vesala í Magnúsar sögu góða kap. 4–9.
Brandkrossaþáttr gefinn út í „Nordiske Oldskrifter."
þáttr af Leifi Össurarsyni, Færeyingasaga, kap. 49. sqq.
þáttr af Auðunni vestfirzka í Haraldar sögu harðráða, kap. 72–75
þáttr af Brandi hinum örfa í Haraldar sögu harðráða, kap. 96.
þáttr af Egli af Vandilskaga, hvergi annarstaðar gefinn út svo eg viti.
þáttr af Oddi Ufeigssyni í Haraldarsögu harðráða, kap. 106–107.
þáttr af Blóð-Egli í Knytlinga sögu, kap. 33–40.
þáttr af Hákoni Hárekssyni í 11. bindi af Fornmanna sögum, bls. 422–439.


Bar.)

Heri indeholdes de af Etatsraad B. Thorlacius i Anledning af det Kjøbenhavnske Universitets Höitideligheder Tid efter anden udgivne samtlige Smaafortællinger paa Islandsk og af ham oversatte paa Latin tilligemed en, for hver især, forudskikket Indledning. Disse Smaafortællinger (þættir) ere følgende:

1. þáttr af Karli Vesala (Res gestæ Caroli Vesal dicti.) /1815./
2. Brandkrossaþáttr (Historia de vitulo fulvam in fronte macul. hab.) /1816./
3. þáttr af Leifi Össurarsyni (Res gestæ Leifi Össuridæ s. Færöensis.) /1817./
4. þáttr af Auduni Vestfirdska (De Auduno Regem Danorum inviseute) /1818./
5. þáttr af Brandi hinum örva Vermundarsyni (De Brando Liberali.) /1819./
6. þáttr af Eigli af Vandilsxaga (De Egillo sub Canuto M. profecto) /1820./
7. þáttr af Oddi Ófeigssyni. (Narratio de Oddo Ofego filio.) /1821./
8. þáttr af Blódeigli (De Erico de hausto sangv. nunc. sub Can. St.) /1822./
9. þáttr af Hákoni Hárekssyni (De Hákone Vicensi sub Sueno Estridide) /1823./

Desuden:

Specimen de Erico Rufo Grönlandiæ inventore. /1811./



SOLENNIA ACADEMICA

AD

CELEBRANDUM

DIEM XXVIII JANUARII MDCCCXVI,

REGI NOSTRO AUGUSTISSIMO

FRIDERICO SEXTO

NATALEM,

HABENDA INDICIT

UNIVERSITATIS REGIÆ HAVNIENSIS

RECTOR

JOHANNES SYLVESTER SAXTORPH,

DR. ET PROF. MEDICINÆ, CHIRURG. ET ARTIS OBSTETR.

CUM

SENATU ACADEMICO.



Commentarium anecdotum, *Brandkrossa-þáttr* dictum, Islandice et latine edidit cum præfatiuncula, festo huic prolusurus, D. BIRGERUS THORLACIUS, PROF. EL. LAT. ET ORD. DAN. EQUES.

EXCUDIT J. F. SCHULTZ, TYPOGRAPHIÆ REGIÆ DIRECTOR.

L. B. S.

Festo redeunte, quo Clementisſimum noſtrum Regem annum rurſus ſuæ vitæ feliciter addidiſſe lætis civium congratulationibus monemur; Univerſitas Regia Havnienſis Te Lector Benevole invitat ad ſincerrima gaudia de capitis Auguſti ſalute, votaque pientisſima pro Ejusdem incolumitate nobiscum participanda. Ad horum ſolennium ſocietatem te vocaturi, credidimus, nos nil a re alienum facturos, ſi anecdotum aliquod hiſtoriæ ſeptentrionalis monumentum in lucem ederemus, quod, quantumvis breve, vitæ et ingenio veterum Borealium lucem adfundere poſſet.

Commentarius iſte eſt *Brandkroſſa-Þáttr* dictus, introductionem quodammodo continens in Hiſtoriam ineditam Fliotsdalenſium ſive Droplogidarum, quæ fata ſiſtit duorum præcipue heroum celebrium Grimi et Helgii Droplogæ filiorum in regione Islandiæ orientali, nomarchiis nunc Nordre- et Söndre-Muleſyſſel dictis, quæ inſulæ pars omnium prima incolis fuit frequentata. Habet ille, licet Islandiam imprimis tangens, non levem cum rebus Danorum geſtis conjunctionem, cum et oſtium illud Unaós, ad quod Droplogidæ ſuas ſedes initio habebant, ab heroe Danico Unio nomen traxerit a), et juxta aliquam traditionem b), hiſtoriæ Fliotsdalenſium majori propriam, Helgius Droplogæ pater Danus fuerit. Non minimum inde momenti huic hiſtoriolæ accedit, quod duplex Droploga, et poſterior, Helgii Grimique mater, et prior, ejus proavia, maſculo heroicoque ingenio, pro iſtius ſcil. temporis modulo, excellebat; quæ in feminis animi magnitudo, etſi non prorſus ſine exemplo apud Boreales eſt, tanto nobilior cenſenda erit, quo magis ex ipſa narratione patet, filios, quantumvis præclaros, ex matre tamen fuiſſe nuncupatos. Nec parum commendatur libellus ſua hinc ſimplicitate et, qua mores vel minus laudandos deſcribit, ingenuitate, illinc jocoſa, quam Caput IIdum ipſum profitetur, et admodum vivida (romanticam cum recentioribus diceres) narratione de avaro Islando homine, cui vitulum ipſi carisſimum trans mare ſurripuit aliquis Thrandenſis, non quidem eum defraudaturus, ſed homuncionem deluſurus. Quæ ludicra primæ prioris Droplogæ in Islandiam profectioni anſam dederant.

Typis expreſſus eſt liber juxta bonum, quem posſideo, codicem chartaceum ex Sec. XVto forma 4ta, complectentem præter hunc commentarium Fliotsdæla-Sagam majorem et Vapnfirdinga-Sagam. Ornavit ille olim bibliothecam viri a literis ſeptentrionalibus egregie meriti, beati J. Erici, in cujus auctione emtus ad me devenit. Thormodum Torfæum hac narratiuncula uſum, et ex hiſtoria ejus Norvegica patet, et exinde, quod in Libro, qui inſcribitur Series Regum Daniæ, Brandkroſſa-Þáttr inter Sagas numerat; ſed in Catalogo Mſto collectionis Arna-Magnæanæ non niſi in n. 551. in 4to nominatur, forte quia Catalogi auctor eam pro prima Fliotsdæla-Sagæ (cujus ſat multa ſunt exemplaria) parte habuit.

Quo *conſilio* commentarium exaraverit auctor, ipſe luculenter innuit; eo videlicet, ut exponeretur et Fliotsdalenſium, præcipue Droplogidarum, origo, et intelligeretur, unde Kroſſevikiæ atque Oxafiordi, in quibus locis iſta familia initio ſuas ſedes habuerat, appellationes venerint. Hinc in primo capite res geſtas Asbiörni maxime refert, et quomodo filius ejus Helgius fraude aliqua nec ſine injuria, ſvadente Berſio, Oddum a ſua ſede expulerit. Hinc in ſecundo et tertio capite narrationem de vitulo fulvam in fronte maculam habente longiuſcule intexit, diſerte monens, inde et Vikiæ et ſinui nomen datum; atque uti capite ſecundo Droplogæ prioris indolem dotesque ingenue deſcripſerat, in tertio ſub libelli finem addit, ex hac Droploga natam fuiſſe Mardölam, ex ea Grimum, et ex hoc poſteriorem Droplogam, Grimi Helgiique matrem.

Sagæ Islandicæ, quibus aliquis *cum hac* hiſtoriola *nexus* intercedit, hæ ſunt: a) *Sagan af Hrafnkeli Freys-goda*, (Mſta) bonæ notæ hiſtoria c), ſeculo XIImo conſcripta. Quæ primo capite noſtri Commentarii leguntur de Rafnkele, ſomno ut a ruina montis ſibi caveret monito, inde petita videntur. b) *Fliotsdæla*, *edr Sagan af þeim Helga ok Grími Droplaugarſonum* d). Hæc hujus hiſtoriæ (ined.) recenſio XV capitibus conſtans ſua

a) teſte *Landnamabok.* P. IV. C. IV. ed. Havnienſ. 4to. p. 285.
b) in *Fliotsdæla-S hin mikla* cap. 6. juxta Cod. 452. 4to. Collect. Arna-Magn.
c) uſus ſum bono exemplari, quod ipſe posſideo, ex Islandia transmiſſo.
d) ad manum fuit Codex membranaceus N. 132. in Fol. Collect. Arna-Magn.

ſua in rebus narrandis brevitate et conciſiore ſcribendi genere, ob quod *Fliotsdæla-S.* minor interdum vocatur, antiquiorem ſibi tribui poſcit ætatem (ſeculi ſcil. XIImi exeuntis) quam c) *Fliotsdæla Saga hin mikla* ſ. major, (ined.) XXXIII habens capita, quæ ut in omnibus longior, ſed minus interdum accurata, ita operoſam imprimis de Gunnaro Thidrandabana narrationem ex ſpeciali, qui habetur, de hoc viro commentario inſeruit. Hæc hiſtoria, licet eandem ac illa brevior præ ſe ferat ætatem, longe tamen, forſitan integro ſeculo, infra eam erit deprimenda, et ad finem ſeculi XIIItii referenda. Commentarius *Brandkroſſa-Þáttr* in narratione de Droplóga priore ab utraque ita divergit, ut illa aliquanto recentior, hac non parum antiquior (ab initio Sec. XIIItii) posſit cenſeri. Nam dum brevior Fliotsdæla-S. modo de Droplogarum in Islandia celebritate dixerat, ille prioris Droplogæ originibus ex Thrandia repetendis eam ſupplere voluiſſe credi poterit. Longior Fliotsdæla-S. fidei ſuæ hoc nomine non optime conſuluit, quod non ſolum remotius ſcil. ab Herlandia Droplogam arcesſivit, ſed a monſtro quoque liberatam narrando portenti quid hiſtoriæ obtrudere ſuſtinuit. Denique legitur in d) *Landnamabok* Sect. IV. Cap. III. pericopa de Rafnkele, montis ruina a Skridudalia ad Rafnkelsdaliam ſedem transferre coacto. Qui liber cum ab initio ſec. XIImi ad finem ſec. XIVti a variis auctoribus ſit compoſitus, potuit iſtam relationem vel Sagæ Rafnkelis nuper memoratæ, vel noſtris þáttr, vel utrisque debere.

In ipſa libri brevitate lector haud pauca reperiet ad *ingenium* Borealium iſto ævo illuſtrandum pertinentia. Quantam, quamque imperioſam auctoritatem ſacrorum tunc et juris miniſtri *Goder* dicti ſibi arrogaverint, oſtendit in his þáttr exemplum Helgii Asbiörnidis, Oddum a legitima poſſesſione (capto ex cæde hominis prætextu) ejicientis. Similem dominandi libidinem Saga Rafnkelis in Rafnkele-Gode obſervat. Sed docet utraque hiſtoria, ejusmodi dominatores nequaquam obnoxios ſibi populares habuiſſe. Ipſe Rafnkel ab aliis circumventus cedere ſubinde coactus fuiſſe legitur. In noſtro libello Oddus vindictam, quam tantisper ſumere non poterat, in Deum *Freyr* devolvit. Huic nempe numini ante ſuum diſceſſum bovem mactatum donavit non ſine omine, ut ſuus ſucceſſor ex eodem prædio ſimili injuria pulſus aliquando migraret. Uti hicce bos Freyo ſacrabatur, ita Rafnkel teſte hiſtoria ipſi cognomine equum ſibi carisſimum Freyfaxe appellavit, quia eum Freyo dedicatum a nemine niſi ſe ipſo conſcendi voluit. Quam lucem hicce commentarius ludis athleticis in ſeptentrione habitis, patriæ in filias poteſtati, oeconomiæ ejus temporis, Islandorum cum Norvegis aliisque gentibus commercio et ſimilibus ex *antiquitate* disquiſitionibus adſpergat, lectio ejus quemvis ultro docebit.

Quomodo cæterum bovis in fronte maculati ad Thrandiam translatio facta fuerit, nempe clandeſtina in navi devectione, (quo forte myſtice ſonans nomen Karhöfdii ſpectat), nemo facile dubitabit; nam, quamvis in Cap. 2di initio bos dicitur in mare ſe præcipitaſſe, deinceps tamen Geitius, cum filiam ſuam Grimo nuptum dederat, genero fatetur, ſe bovem ei, miſſo Karhöfdio, per ludibrium rapuiſſe. Quod in eodem Capite auctor narrationem de Droploga incepturus eam jocoſam vocat, eo *fidei* ſuæ proſpectum voluit. Verum etſi lepidas tales narrationes captabat Septentrionalium ingenium, illâ tamen relationis *veritati* nil detrahitur, cum ipſa narratio prorſus ſit veroſimilis. Atqui probabile eſt, tam lepidam rei expoſitionem tum denique ſcripto conſignatam fuiſſe, cum Droplogidarum familia ita inclaruiſſet, ut digna videretur, in qua mater et proavia vel minutioribus περιστασεσι ex antiquitate protrahendis honeſtarentur.

Tempus, quod hæcce hiſtoriola complectitur, ſic poterit conſtitui. Habebat, (juxta caput primum) Asbiörnus uxorem Hallberam, Hrollogo natam, qui filius erat Rognvaldi, Moeriarum Comitis. Florebat Rognvaldus ſub Haraldo Pulchricomo verſus finem ſeculi noni (ab anno 881). Moriebatur Rafnkel Droplogidis æqualis (teſte hiſtoria, quæ ejus nomen ſibi inſcriptum habet, ultimis ejusd. verſibus) cum ætate provectus erat Olaus Sanctus. Si ex hac ſumimus annum 1025, ex noſtro, computatione probabili, annum 905, percurrit Commentarius Brandkroſſa-Þáttr annorum fere 120 hiſtoriam, quæ familiæ Droplogidarum florem complectitur, nempe ab anno 905 ad 1025.

Sic breviter expoſitis, quæ noſtro libello lucem in anteceſſum adfundere posſint, ipſum textum cum verſione Latina repræſentabimus.

Brandkrossa-Þáttr.

Cap. I.

Þar höfum vér upp Helganna sögu, er Kétill-Þrymr er, þvíat vér vitum hann kynsælastann verit hafa þeirra manna er í þessari sögu er frásagt, eru frá hanum komnir Sídumenn ok sva Krossvíkíngar ok Droplögar synir. Þat vilium vér ok segia: hversu Helgi Ásbiarnarson er kominn af landnámsmönnum, er göfugastr madr er í þessari sögu at vitra manna virdíngu. Madr hét Rafnkéll, hann var Rafns son, hann kom út til Islands síd landnámatídar, ok bió í Skridudal, hann sofnadi þar ok dreymde at madr kiæme at hanum, ok bad hann burtu verda med allt sitt sem skiótast. Rafnkéll vaknadi, ok fór þegar í burtu á sömu stundu, enn því nærst hlióp ofann fiallet allt ok vard þar undir göltr ok gradúngr er Rafnkéll átti, þat hafdi eptir vordit, enn hánn fór í Rafnkéldal, ok bygdi allann dalinn, sínum mönnum, nær tuttugu bæum, enn bió siálfr á Steinraudarstödum, hann giördest brádt höfdínge mikell, ríkr ok fiöllmennr. Synir Rafnkéls voru þeir Ásbiörn ok Þórir; enn er Rafnkéll andadist tóku synir hans arf eptir hann at jafnadi, hlaut Þórir bústad þann er fadir hans hafdi átt, enn Ásbiörn bygdi þann bæ er kalladr var á Lokhellum, er nú heiter á Rafnkélsstödum, ok sat þann bæ vel. Ásbiörn átti þá konu er Hallbera hét, hún var dóttir Hrollaugs sonar Rögnvalds jarls af Mæri, þau attu son þann er Helgi hét, hann fæddist þar upp, ok var fálátr, ord-stilltr, lagdist-mön-

num

Hiſtoriola de vitulo fulvam in fronte maculam habente.

Cap. I.

Aggredimur hiſtoriam Helgenſium, cui Ketillus Thrym innexus est, quem novimus prole felicisſimum fuiſſe ex viris, in hac Saga commemoratis. Ab eo oriundi ſunt Sidenſes, uti quoque Krosvicenſes et Droplogidæ. Id etiam attingemus, quomodo Helgius Asbiörnides a primis terræ occupatoribus deſcenderit; eum enim ſollertiores nobilisſimum fuiſſe judicant ex viris, qui in hac hiſtoria occurrunt. Vir erat nomine Rafnkell, Rafnii filius; is exeunte occupationis terræ tempore ad Islandiam venit, ſedemque in valle Skridenſi poſuit. Heic cum aliquando obdormiſcens ſomniabat, videre ſibi viſus eſt virum, qui ad ipſum accedens monebat, ut cum omnibus ſuis quam citisſime iſtam manſionem relinqueret. Somno excuſſus Rafnkell mox inde profectus eſt, ſtatimque ſecuta eſt montis deſuper ruina, ſub qua verres et taurus, quos Rafnkell posſidebat, ibique reliquerat, oppresſi ſunt. Dein Rafnkelsdaliam petiit, totamque vallim ſuis comitibus frequentavit, adeo ut fere viginti eſſent prædia. Ipſe habitans in Steinrödſtadis, nobilis, opulentus, multosque ſibi habens ſubjectos, magnas evaſit. Filii Rafnkelli erant Asbiörnus et Thorir, Rafnkelloque defuncto, iſti filii patrimonium æque partiti ſunt; ſortitus eſt Thorir manſionem, quam pater ejus habuerat; ſed Asbiörnus prædium inſtauravit, quod nunc Rafnkelſtadæ dicitur, illudque optime compoſuit. Habebat Asbiörnus uxorem nomine Hallberam, Hrollogo natam Rognvaldi Comitis Moerenſis filio. Ex iſto matrimonio procreatus eſt Helgius ibique educatus. Erat ille paucorum verborum et oratione

cau-

num rómr á hversu hann gérdist. Ásbiörn vard ecki gamall, þá hann andadist, tók Helgi arf eptir hann, ok bió nockra vetr á Lokhellum, eptir þat brá Helgi búi sínu, ok seldi sva Rafnkéli Þórirs syni, brædrúng sínum, enn hann fór utann, ok var marga vetr í hernadi bædi í Orkneyum ok í Norvegi med frændum sínum, ok var hinn hraustasti madr, enn einge afreks madr at abli né vígfime. eptir þat fór Helgi til Islands, ok var bædi gott ordit til fiár ok virdíngar. Spak-Bersi baud Helga til sín, ok fór hann heim med hanum á Bersastadi, á þeim sömu misserum qvongadist Helgi, ok féck Oddlaugar systur Bersa, ok tókust þar brádt gódar samfarir ok miklar ástir, þá var Helgi stadfestulaus, ok var einge þá fús at rísa upp af sínu landi fyrir Helga. Madr hét Oddr, ok var kalladr Syndri, hann var audugr at fé, ok ódæll vid at eiga, hann hafdi valit sér hústad vid Lagarfliót ödrumeginn enn Bersastadir eru, ok búit þann bæ vel. Oddr átti konu ok son er Ósvífr hét, var þat kallat at hann fylgdi því nafni í skaplyndi, hann var farmadr ok barst á miket, leikmadr mikell, hádsamr ok hælinn. Þat var einhveriu sinne at þeir ræddust vid mágarnir Bersi ok Helgi, spyr Helgi Bersa, hvar hann sæi hanum bustad, edur hvert rád hann legdi til med hanum? Bersi gaf; til gott rád, þat sem þeir efndu sídar. Þegar er ís lagdi á vatnid, þá géck Helgi á Oddastad ok giörde sér kátt vid Ósvíf, ok þvínærst tókust leikar upp í mille Oddsstada ok Bersastada. Madr er nefndr Ótryggr, er vistarmadr var á Oddastödum, hann tók at sækia miök Ósvíf at leikum, ok hældist eptir, ok sagdi hann vera meir hælinn enn hardleikenn, enn Oddr vó sídann Ótrygg. Helgi Ásbiarnar son tók vid vígsmálinu, þá leitudu menn um sættir, enn einge var kostr annar,

cautus, disputabantque multi, quid de eo olim futurum esset. Asbiörnus ad senilem ætatem non pervenit. Eo mortuo Helgius bonorum curam suscepit, atque aliquot annis in Lokhellis habitavit. Postea vero oeconomiæ renuncians patrueli Rafnkello Thoreri filio bona sua tradidit; tumque peregre profectus multos annos in expeditionibus militaribus transegit, partim in Orcadibus, partim in Norvegia inter suos cognatos; eratque vir animo quidem fortissimus, sed nec corporis viribus, nec luctandi dexteritate eximius. Postea Islandiam petiit, et fortunis auctus et dignitate. A Spak-Bersio invitatus ad Bersastadas divertit. Eodem semestri matrimonium iniit Helgius cum Oddloga Bersæ sorore, unde arctius amiciusque junctum est inter eos vinculum. Verum erat Helgius sine stabili mansione, neminique volupe fuit suam ipsi terram cedere. Oddus aliquis, cognomine Syndre (nanus), bonis quidem opulentus, sed intractabilis, domicilium sibi posuerat juxta flumen Lagarflioti ultra Bersastadas, idque bene exornaverat. Oddus uxorem habebat filiumque Osvifum, qui animi affectione nomini suo bene respondere existimabatur. Amabat ille peregrinationes, splendidisque indutus vestibus incedebat, ludos pugillatorios frequenter adibat, cavillatorque erat et jactator. Accidit aliquando, ut Helgius et Berse pro sua affinitate mutuo colloquerentur. Rogat Helge Bersium, ubinam mansionem ipsi destinaret, aut quale consilium hac in re dare vellet. Suasit Bersius id, quod deinceps ad actum fuit perductum. Cum aqua fluminis glacie concreverat, Helgius Oddastadas adiit cum Osvifo jocaturus, moxque ludi athletici inter Oddastadenses et Bersastadenses commissi sunt. Hospitabatur in Oddastadis Otrygus aliquis; ille Osvifum inter ludos dicteriis aggrediebatur, atque ipse se jactans illum gloriando magis quam pugnando idoneum dictabat, qua de causa Oddus Otrygum trucidavit. Vindictam hujus cædis Helgius Asbiörnides in se suscepit. Erant, qui conciliationem svaderent; verum nulla nisi hæc conditio admissa est, ut penes solum

nar, enn Bersi giörde einn um, ok vard sú sætt þeirra at Bersi giörde litla fésekt, enn giörde Odd burt af bústad sínum ok úr héradi. Oddi líkade stórílla þessi málalok, enn þó urdu þessi málalok at vera, af því margir voru hanum unnandi. Helgi Ásbiarnarson leysti aptr Oddastadi til sín, ok þó vid mikenn óþocka Odds, enn þó vard sva at vera, at Oddr vard í burt at fara, ok er ecki sídann frá hanum sagt í þessari sögu, enn þó hefir hann mikelmenni kalladr verit. Helgi reyste bú á Oddastödum, ok ætladi allt til á einum degi þángat at færa bú sitt hinn fyrsta. Enn er Oddr bió ferd sína burt, þá lét hann höggva gradúng, ok sióda. Enn hinn fyrsta fardag þá er Oddr var í burt búinn, lætr hann bord setia med endilaungum sætum, ok var þetta allt gradúngs slátr á bord borinn, géck þá Oddr sva talandi: hér er nú vandliga bord búit, ok sva sem hinum kiærustu vinum vorum, þessa veitslu géf ek alla Frey, at hann láti ei þann med minna harmi í burtu fara af Oddastödum er í minn stad kémr; enn ek fer nú. eptir þat fór Oddr í burt med allt sitt.

solum Bersam istius rei arbitrium esset; et convenit tandem ita, ut tenuem quidem mulctam Bersa constitueret, sed Oddum a suo domicilio pariter ac omni isto territorio exulem declararet. Hæc rei decisio Oddo vehementer displicebat, coactus tamen erat in ea acquiescere, quia multos sibi non admodum faventes habebat. Dein Helgius Asbiörnides Oddastadas redimebat. Oddus quidem admodum ægre id ferebat, sed necessitate sic jubente accinxit se ad dimigrandum, nullaque ejus mentio in hac historia amplius injicitur, licet vir potens fuerit habitus. Helgius Oddastadis oeconomiam auspicatus, primo migrationis die omnia sua bona eo transferre cogitabat. Oddus vicissim, cum abitum parabat, taurum mactandum elixandumque curavit. Ipso migrationis die cum in eo erat Oddus, ut discederet, mensam cum lectis in longitudinem porrectis jussit sterni, mensæque imponi mactatum taurum, quo facto ipse processit taliaque fatus est: Diligentissime nec aliter quam qualis carissimis amicis apponitur, mensa jam instrata est. Totum hoc convivium Freyo dono cum hoc omine, ut virum, qui mihi succedit, non minori cum tristitia, quam qualem ego hinc migrans sentio, ab Oddastadis discedere jubeat. Postea Oddus cum omnibus suis inde profectus est.

Cap. II.

Þessa rædu segia sumir menn um ætt Droplaugar sona, sumum mönnum þykir hún efanlig, þó er gamann at heyra hana:

Madr hét Grímr er bió í Vopna firde, í vík hinne innre, hann var úngr madr ok qvongadr, ok vellaudigr af fé. hann ól upp uxa þann er brandkrossóttr var at lit, ok ágiæta naut at hlutum ok vexti, hanum þókti hann betri enn allt annat þat er hann átti í qvikfé, hann géck í túnum á sumr, ok drack miólk bædi sumar ok vetr. Þat bar vid um sumarit, þá er uxinn var tíu vetra gamall, enn tadann stód úti umhverfis húsinn í stór sæti, at uxinn hlióp út ok inn,

Cap. II.

De Droplogidarum stirpe hanc relationem circumferunt nonnulli, quæ, licet quibusdam dubia videatur, auditu tamen satis jucunda est.

Habitabat in Vapnafiordo, in sinu interiore, vir aliquis nomine Grimus, juvenis quidem, maritus atque opulentus; alebat ille vitulum, fulvo colore in facie decussatim tinctum, pingvem admodum et grandem, qvem qvovis alio, quod habebat, pecore meliorem æstimabat, quique æstate per pratum domesticum libere vagabatur, atque toto anno lacte nutriebatur. Vitulus ille cum decennis erat, circa acervos, quibus foenum ex agris proximis erat dispositum, licenter discur-

inn, ok kastadi sátunum úr stad, þá villdu menn taka hann, ok gátu ei, ok giörde hann þá aungvann mun á, ok var þá kominn fiölde manna til, enn hann hlióp á leid fram, ok allt um síder í hina ytre Krossavík, ok þar á sió út, í haf medann menn máttu hann siá. Grímr undi nú stórílla vid skada sinn, er hann hafdi mist uxann, hann átti bródur í Öxarfirde, þann er Þorsteinn hét, hann var gódr bóndi, vitr madr ok vinsæll, unntust þeir ok miket brædurnir. Nú voru Þorsteine ord send, at hann kiæme til fundar vid bródur sinn Grím í Vík, ok er þeir fundust brædur, taladi Þorsteinn um fyrir hanum: at kann kynni eige sva ílla skada sínum þessum, segir enn margt í bætr bera, enn fé var nóg, enn ei örvænt at hann æli annann uxa upp ei verri, enn segir vera virdíng mikla, at víkr þær bádar mundi sídar verd kéndar vid uxafans. Gríme var náliga sem vid annat eyra géinge út þat er Þorsteinn mælti. Þorsteinn var þar allann veturinn til huggunar vid bródur sinn, enn þó giörde Grím miok óárligann, svaf hann líted ok neytti lítt matar, ok er á leid misserit, leitade hann eptir af Gríme ef hanum væri nockut um utannferd, qvad vid þat stríd manna stemmast ok dofna hugann af þeim áhyggium er fyrirstanda gledi manna ok gamni. Grímr qvadst fara vilia, ef at Þorsteinn villde fara med hanum, enn hann qvadst þat giarnann vilia ef at Gríme væri fyrir þat nockut villdara enn ádr. Þeir settu menn fyrir bú sín til vardveitslu, enn þeir rédust utann bádir brædur í Unaósi, ok höfdu ecki miket fé, ok var þá vandi at hafa vararfelldi at varnínge, ok sva höfdu þeir. Þeir urdu vel reidfara, ok kom skip þat í Þrándheim, er þeir voru á brædur. Þeir giördu sér tiald á landi, ok drifu menn frá skipe, hver til sinna heimkynna, enn þeir brædur sátu eptir í tialde

sínu.

cursitabat, et arietando eos subvertebat. Volebant homines eum capere, verum id non succesit, nam vitulus a nemine se retardari passus est; et licet plures accurrerent, ille tamen via sua perrexit, donec tandem ad sinum ulteriorem Krossensem perveniret, indeque in mare, hominibus spectantibus, se præcipitaret. Grimus bovis jacturam ægerrime ferebat. Habebat in Axarfiordo fratrem nomine Thorsteinum, colonum strenuum, sollertem vulgoque gratiosum, cui tenera cum fratre amicitia intercedebat. Hic Thorsteinus nuntio monitus est, ut veniret fratrem in Krossavikia consolaturus. Fratres ubi convenerant, Thorsteinus varia solatia ejus animo admovit: haud esse cur istud damnum tantopere doleret, multas dari vias illud resarciendi; sat pecorum ipsi suppetere; spem superesse, fore ut nova jumentorum accessione alium perdito non pejorem vitulum enutriret; operæque pretium ipsum facturum, si elaboraret, ut utraque Vikia boum fetura inclaresceret. Grimus omnia a Thorsteino dicta surdis accipiebat auribus. Manebat Thorsteinus tota illa hyeme apud fratrem suum, alloquio eum erecturus. Interim Grimus ægritudine indies magis macrescebat; nec dormire ipsi licuit, nec edere valde libuit. Exeunte hieme, scifcitatur ab ipso frater, nonne peregrinari placeret, animum quippe commotum ita sedari posse, sopiri quoque cogitationem eorum impedimentorum, quæ gaudio lætitiæque alicujus obessent. Dixit Grimus proficisci se velle, si fratrem itineris socium haberet. Professus etiam est Thorsteinus, se non detrectare, si ad fratris animum lætius quam antea componendum id facere posset. Viros ergo constituerunt, qui bonis ipsorum præessent, et ad proficiscendum accincti utrique fratres in ostio Una-ós vela dederunt, non multis mercibus instructi, nisi quod more istius temporis pelles quasdam secum haberent. Secundo vento usa navis, qua fratres vehebantur, appulit ad Nidarosiam. Ibi in litore tentorium sibi erexêre, dumque cæteri vectores ad suos quique dilabebantur, fratres ibi remanserunt.

Mane

sínu. Snemma einn morgun kom madr til tialds þeirra brædr, sá var mikell ok sterkligr, þeir spurdu þann mann at nafni, hann sagdist Kárhöfdi heita, þá spurdu þeir hann at hvert hann skyldi fara? edur hvadann hann væri? hann qvadst eiga heima hiá bónda þeim er Géiter heiter, ok sagdist hafa skyldu til handa hanum tuttugu ok fióra vararfelldi, enn qvad Géiter vel audigann, ok hinn bezta í skuldum, þeir seldu hanum feldi sem hann villde, ok mæltu miöl fyrir, hann kastadi á öxl sér ok géck burt sídann. Eptir þa kom sá madr til þeirra er Þórir hét, innann úr Þrándheime, ok baud þeim til vistar, hann var gódr bóndi, þeir þágu þat ok fóru til Þórirs, var þeim þar vel veitt vistinn, þeir spurdu jafnann Þórir bonda at Géiter, enn hann lézt einge deile á hanum vita. Þeir höfdu ei leinge á vist verit, ádr enn þeir fýstust at fara heimann ok villdu leita Géiters, Þórir latti þess, enn þat kom fyrir ecki, þeir fóru upp eptir dölum, ok spurdu jafnann eptir Géiter, en einge kunne þeirra honum ad segia, þa komu þeir til Karls í afdal nockurn, ok spyr ok qvadst hann ei kénna hann, þá spyr Þorsteinn ef hann nockr örnefni visse þau er Géiter væri kéndr vid, hann qvad heita Géitershamra ok seiger þeim til þeirra, fara þeir sídann þángat, eptir um daginn. Þeir koma þar at hellirsdyrum, þar brann elldr í hellirsdyrum, vid eldinn sat madr, kéndu þeir þar Kárhöfda compán sinn, hann spratt upp ok fagnadi þeim vel. Þeir settust nidr vid eldinn, ok litudust um, þeir þoktust þar siá Brandkrossa uxa Gríms heilann standa ödrumeginn ut undir bergit. Kárhöfdi tók vid klædum ok vardveitte, ok er hann kom aptr, baud hann þeim í stofu at fara, ok er þeir komu þar, þá sátu menn á báda becki, ok kéndu þeir á þeim felldi sína. Madr sat í öndvegi í raudum felldi, mikell ok eiguligr, sá madr qvaddi þá fyrri, ok baud þeim þar at vera sva leinge sem þeir villdu,

Mane aliquo admodum matutino venit ad fratrum tentorium vir procerus valde et robustus. Ab iis interrogatus de ſuo nomine reſpondit ſe Karhöfdium dici. Quærentibus, quo tenderet et unde veniret, reſpondit, ſe domeſticum eſſe alicujus coloni dicti Geite, cujus nomine ſe viginti quatuor pelles venales expetere; Geitium virum opulentum eſſe datæque fidei tenacem. Tradiderunt illi tot pelles quot optabat, ea conditione ut pretium farinâ rependeretur. Ille ergo eas in ſcapulam rejectas abſportavit. Poſtea eos adiit vir ex Thrandia interiore, colonus opulentus nomine Thorerus, atque ut ad ſe diverterent, invitavit; illique invitatione uſi ad eum migrarunt, beneque excepti ſunt. Thorerum frequenter de Geitio ſciſcitabantur, ſed faſſus eſt ille, nil prorſus ſibi de eo conſtare. Poſt brevem ibi exactam moram inceſſit eos cupido inde abeundi Geitiumque quærendi. Disſuadebat Thorerus, ſed illi hæc conſilia parum curantes, ſecundum valles aſcendendo profecti ſunt ſemper Geitium inveſtigantes. Poſtquam diu de eo nil comperire potuerant, veniunt tandem ad virum in valle remota habitantem, quem de Geitio interrogant; eum quoque profitentem ſe illum ignorare rogat Thorſteinus, nullane noſſet loca ex Geitio antiquitus denominata. Regerit ille, eſſe rupes Geitishamra dictas, quæ ubi inveniendæ, illis commonſtrabat. Dein mox profecti labente die venerunt ad aliquod rupis antrum, in cujus introitu ignis ardebat. Adſidebat igni homo, qvem Karhöfdium, quocum negotia contraxerant, eſſe agnoſcebant. Exſiliit ille eosque bene excepit. Illi cum ad ignem ſe demitterent, circumſpiciendo videre ſibi viſi ſunt e regione ſub monte integrum ſtare Grimi vitulum, fronte maculata inſignem. Karhöfde eorum pænulas accepit ſervandas, rediensque eos in conclave intrare jusſit. Huc cum venerant, viderunt viros in utroque lecto, quos pellibus ab ipſis acceptis indutos agnoverunt. Erat in ſede herili vir rubra veſtitus pelle, procerus graviqve vultu; is ad eos ſe convertens rogabat, ut apud ipſum quam-

villdu, ok setti þá hit nærsta sér, ok va þar gott vistafáng ok gódr dryckr. Konur tvær voru innar frá Géite, ok bádar frídar, ok sat sú hanum nær er eldi var, ok var sú kona hans, enn dóttir hans hin ýngri. Þar voru þeir skamma stund ádr Grímr ógladdist, þatt fann Géiter brádt, ok mælti vid Grim einn dag: ek hefi sakir giört vid þik Grimr (sagdi hann), ek sendi Kárhöfda þræl minn eptir uxa þínum Brandkrossa, er bezt naut var á öllu Islandi, enn þar er þú þóktist siá hann hinn fyrsta aptan, þat er belgr hans fullr af miöle, ok ætla ek þér þat í uxaverdit. Mér hefir ok sýnst sem þú hafir augum lited til Droplaugar dóttur minnar, enn ek mun gipta þér hana, ef þú villt flytia hana til Islands med þér, med miklum fiárhlutum er henni skal heimannfylgia, hún er vel borinn í módrætt, enn þó ei smáborinn í födurætt, var módir mín vel mönnut, enn födur átti en heldr stórfeingann. Grímr tók þessu máli vel, ok voru sídann giördar samfarir þeirra Gríms ok Droplaugar, var þar hin skörugligasta veizla, ok hvíldu þau í einne hvílu þriú allann veturinn, Grímr, Droplaug ok Þorsteinn í einum afhellir, ok tókust med þeim gódar ástir, Gríme ok Droplaugu, undi hann þá vel sínu rádi; enn er voradi spurdi Géiter Grím hvad hann villde ráda sinna? enn hann qvadst til Islands vilia, sem lífet at lifa. Géiter bad þá brædur kaupa sér skip, ok búa; enn hann qvad þau Grím ei skyldi fé skorta, ok sagdi Kárhöfda at til skips at færa, þat er þau áttu, þar í fiárhlutum ok varnínge.

Cap. III.

Þeir brædur giördu eptir því sem Géiter lagdi rád fyrir, ok biuggust til burtferdar, mæltust þeir mágar vel fyrir at skilnadi, bad Géiter Grím at hafa rád fyrir þeim hiónum bádum, ok segir þá vel hlýda mundi. Enn er þeir brædur voru miök sva búnir til hafs, kom Kárhöfdi ofann af landi,

ok

quamdiu vellent manerent; is eos proxime ſibi adſidere jusſit, optimuque quem res ſuæ ferrent cibum potumque iis appoſuit. In Geitii penetralibus duæ erant feminæ, utræque venustæ; proxima ipſi juxta ignem sedebat ejus uxor, et junior altera, ejus filia. Brevi tempore interjecto rediit Grimo prior animi moeſtitia. Hoc Geitius animadverso eum aliquando ſic adfatus eſt: In te, Grime, injurius fui, dum ſervum meum Karhöfdium mittebam ad vitulum maculata fronte, optimum illum in tota Islandia, auferendum. Quod tu primaveſpera videre illum videbaris, ea erat ejus pellis farinâ repleta, quam tibi pro vitulo compenſationem deſtinaveram. Viſus quoque mihi es filiam meam Droplogam blandis adſpexiſſe oculis. Eam tibi in matrimonium dabo, ſi in Islandiam ducere velis. Dotem ex multis bonis accipiet. Eſt ea a gente materna ex familia honeſta oriunda, a parte paterna non ignobilis; erat enim mater mea liberaliter educata, patremque habui heroicæ indolis. Grimus eam conditionem lætus accepit, et deinceps lautisſima inter convivia habitæ ſunt Grimi et Droplogæ nuptiæ. Qvieverunt deinceps in uno lecto per totam hiemem Grimus, Droploga et Thorſteinus, in ſingulari rupis antro, Grimusque et Droploga amicisſima mutuo conſvetudine utebantur, ſorte ſua egregie contenti. Accedente vere Geitius a Grimo quærebat, quidnam conſilii jam agitaret. Reſpondit, ſe iter ad Islandiam moliri, ibi, dum viveret, manſurum. Svaſit ergo Geitius fratribus, ut navem ſibi emerent armarentque; addidit, Grimo bona haud defutura, jusſitque Karhöfdium in navim deſtinatas illis vel ſupellectilem, vel merces deportare.

Cap. III.

Obſecuti fratres conſiliis Geitii ad profectionem ſe accinxerunt. Diſcesſit gener a ſocero cum magna benevolentiæ mutuæ teſtificatione; rogavit Geitius Grimum, ut communi oeconomiæ, propriæ pariter ac conjugis, ſollerter invigilaret, ſic omnia bene ſucceſſura ominans. Ubi cuncta ad iter parata erant, Karhöfdius deſuper a terra venit,

ok hafdi belg Brandkrossa fullann af miöle á baki sér, ok géck á skip út ok lagdi þar nidr sem þeir villdu at væri; í annat sinn géck hann ofann med fellda verd þeirra; þridia sinn for hann ofann med kistur tvær, ok var í annari klædi ok griper Droplaugar, enn í annari gull ok silfr ok gérsimar, ok var þetta heimannfylgia Droplaugar. Sídann létu þaug í haf, ok urdu vel reidfara, ok lendtu í Kroſſavík hinne innre, ok var þar færdr belgr Brandkroſſa af skipe, ok er vid hann hverutveggia víkenn kénd, þeir brædur seldu sídann skipet, ok fór hver heim til síns búss. Þorsteinn qvongadist, ok þókti hinn mesti bóndi, ok jók sína ætt í Öxarfirde, enn Grímr bió í Krossavík, ok undi vel sínu rádi á medann þau lifdu bædi, ok þókti vera hinn röskvasti madr, enn Droplaug' var væn kona ok stórmannlig, umsýslu mikel, ok dreinglundut ef í móti henni var giört, fálát ok feingsöm, ok stadföst vinum sínum, enn miök hardúdug óvinum sínum. Hún vard ecki miök gömul kona, ok vard sótt daud, ok þókti Gríme miket at missa hennar, féck hann mikenn harm eptir hana ok undi sér lítt, þau áttu dóttur er Mardöll hét, hún var væn mær ok virduglig, ok miök lík módur sinne, umsýslusöm, vinsæl ok vingód, þagar hún hafdi aldur til þess. Hún var fyrst fyrir búi födur síns eptir módur sína dauda, þókti þat öllum vel ráditer hún réd, enn sídann var hún gipt austr í Héradsdal til Gilsár, ok var hún módir Gríms Mardallar sonar födur Droplaugar, módur þeirra Gríms ok Helga Droplaugar sona.

nit, dorſo gerens pellem Brandkroſſæ melle repletam, eamque in navi, ubi vellent, depoſuit; ſecunda vice pretium emtarum mercium adtulit; tertia vero vice duas ciſtas adportavit, in quarum una erant Droplogæ veſtes resque pretioſæ, in altera aurum, argentum et cimelia, quæ Droplogæ dotem conſtituebant. Dein vela ventis dederunt, ſecundaque navigatione uſi, ad ſinum Kroſſenſem interiorem appulerunt. Tum pellis Brandkroſſæ in terram vecta eſt, unde uterque ſinus nomen accepit. Poſtea fratres navim vendiderunt, et migrarunt in ſuum quisque domicilium. Thorſteinus inito mox matrimonio genus ſuum propagavit, opulentisſimusque habitus eſt colonus in Öxarfiordo; habitabat Grimus in Kroſſaviko. Utrique ſua ſorte, dum vivebant, erant contenti, ſtrenuique exiſtimabantur viri. Erat Droploga pulchra animique generoſi mulier, in oeconomia procuranda diligentisſima, acrioris, ſiquis ei adverſaretur, ingenii, in alienis non curioſa, ſed ad rem attenta, erga amicos fidisſima, ſed in inimicos aſpera. Illa ad ſenectutem haud pervenit, ſed morbo rapta magnum ſui deſiderium Grimo creavit. Damni is impatiens vehementer doluit. Filiam progenuerant, nomine Mardöl, virginem ut venuſtam, ita gravitate decoram matrique ſimillimam, in rebus domeſticis ſtrenuam, affabilem et in amicos comem, ubi id ætatis attigerat. Mortua matre illa patris oeconomiæ præfuit; omnibus prudentisſima quæque ſuadere viſa eſt, et deinceps nuptum data viro in Heradsdalia ad amnem Gilſenſem habitanti, materque evaſit Grimi Mardalſonii, patris iſtius Droplogæ, e qua Grimus et Helgius Droplogidæ progeniti fuêre.

Ex antiquitate hæc hactenus adtuliſſe ſufficiat. Mori ſeptentrionis obſecuti, quo Reges in ſolennibus ipſis gratis homines prodire juberent, lepida ex priſcâ memoria eventa narraturos, nunc ad magis ſeria, nec tamen minus læta, nos convertimus. Natalia Regis Optimi celebraturi, incipimus ab iis materiis in annum 1816 proponendis, in quibus ut ſtudioſa juventus, non minus ipſius conaminis, quam honorifici præmii inde reportandi, ratione habita, ſuas vires ſolerter exerceat, vehementer optamus; id unice monentes, ut Commentationes intra Calendas Decembres Rectori Univerſitatis tradantur. Themata vero hæc ſunt:

IN THEOLOGIA.

Expoſita doctrina biblica Veteris et Novi Teſtamenti, nominatim ipſius Chriſti, de præſtantia et dignitate naturæ humanæ, nec non de officiis inde derivandis, oſtendatur, hanc doctrinam cum principiis rationis humanæ optime convenire.

IN JURISPRUDENTIA.

Quænam principia prudens legislator in legibus de contractibus aleam continentibus ante oculos habebit? et quænam circa hos contractus ſecutæ ſunt cum leges potisſimæ exteræ, tum maxime patriæ?

IN MEDICINA.

Quid judicandum de artificiali membranæ tympani perforatione ad difficilem auditum tollendum?

IN PHILOSOPHIA.

Cum in homine inter ſpiritum atque animam multi diſtinguere ſoleant, utramque vero notionem modo huc modo illuc trahant, quæritur, quænam ſit vera ratio hujus diſtinctionis, et quinam ejus in natura hominis interna explicanda effectus?

IN MATHESI.

Evolvere Analyſeos methodum, quam de Maximis et Minimis appellamus.

IN HISTORIA.

Exhibeatur Alexandriæ urbis, qualis erat imperante Ptolemæo Philadelpho, delineatio et imago ejusmodi, ut non tantum ſitus, ambitus atque commercia, ſed etiam inſtituta atque monumenta ſuccincte deſcribantur.

IN PHILOLOGIA.

Examinatis Vitarum parallelarum Plutarchi fontibus, conſtitutisque eorum fide et auctoritate, definiatur: Quisnam ſit hujus ſcriptoris in hiſtoria uſus.

IN ÆSTHETICIS.

At udvikle det Dithyrambiſke Digts Væſen i den claſsiſke Oldtid, og underſöge, om og hvorvidt denne Digtart paſſer, og med Held har været dyrket i de ſenere Tider.

IN HISTORIA NATURALI.

a) In Mineralogia.

Quid docet terra ipſa de ſua origine et tempore, quo animalibus et plantis habitata fuerit? et quatenus conſentit illa telluris archæologia cum mythis et traditionibus veterum populorum?

b) In Botanica.

Conſtat non paucas algarum aquaticarum ſpecies cura et ſtudia Oederi, O. T. Mülleri, Vahlii, Hofman — Bangii, aliorumque in aquis dulcibus et marinis Daniæ indagatas nec non deſcriptas, ſed nec ab illis, nec ab aliis ſyſtematice diſpoſitas eſſe. Poſtulatur igitur diſpoſitio ſyſtematica omnium algarum aquaticarum Daniæ huc usque detectarum, deſcriptionibus et ſynonymis illuſtrata.

c) In Zoologia.

Quænam ſunt, juxta celebres Cuvierii, Meckelii aliorumque obſervationes anatomicas, potisſimæ in molluſcis gaſteropodis et pteropodis mutationes formæ ſyſtematis nervorum fundamentalis? et quomodo hæ mutationes cum cæteris ſyſtematibus organicis conſtare poterunt?

Cum itaque felicisſimus redierit dies MONARCHÆ NOSTRO AUGUSTISSIMO, **FRIDERICO SEXTO,** natalis, panegyrin indicit UNIVERSITAS REGIA HAVNIENSIS, et piis pro Capite Auguſto totaque Domo Regia votis, et præmiis, illis ex civibus Academicis, qui anno nunc elapſo certamen literarium aggresſi fuerint, asſignandis. Auctore COLLEGIO REGIO, *rei academicæ et ſcholaſticæ moderatore*, convenient, qui hæc ſolennia nobiscum celebrabunt, die III Febr. in Auditorio Domus Regiæ hora XII. Rector Univerſitatis *JOHANNES SYLVESTER SAXTORPH*, *Dr. et Profeſſor Medicinæ, Chirurgiæ et Artis Obſtetriciæ*, publice prodibit, et piorum, quæ ſuſcipiemus, votorum interpres, et præmiorum enuntiator. Prælectis nempe Cenſorum judiciis ſchedulas, quæ nomina concertantium tegunt, rumpet victoresque proclamabit.

Frequentes adeſte Lectores benevoli, diesque XXVIIIvus Januarii ut Regi noſtro Auguſtisſimo per plura decennia redeat, ſolido ſemper gaudio agendus, nobiscum vovete et auguramini.

Dabamus Havniæ d. XXVII. Januar. Anno MDCCCXVI.

SUB UNIVERSITATIS SIGILLO.

